



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De alba veste 61

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

nati ab illegitimis discernantur, in aliis denique ob alias quasdam iu-  
pias causas usurpat, de ea, inquam, nec Prudentius, nec alias qui quam  
ex antiquis vel verbo mentionem fecit. Probè inspiciantur verius, quos  
Aduersarij adduxerunt, qui ita incipiunt:

*O res digna Deus, quam tibi roscida  
Noctis principio gressus tuus offerat, Lucem, &c.*

Totus enim iste hymnus de iis tantummodo candelis cauit, que olim  
in nocte Paschali ad tenebras depellendas accendebantur. In quibus  
piè ac Christianè seipso admonuerunt Christi Domini, lucis mundi:  
que in modum etiam columnæ ignæ, per quam Deus populum suum  
eduxit ex Ægypto, & quæ typum gerebat Christi. Verum de talibus re-  
bus ne verbo quidem docent Aduersarij populum, sed tantummodo  
mutis quibusdam & non intellectis signa omnia sua perficiunt.

### Decima pars.

#### De veste alba.

#### C A P. LXI.



S u s vestis albæ etiam peruetustus est. Verum quantum  
magis necessarium est, de eo elaborare, quomodo Chri-  
stum Dominum induamus, eoque conuestiamur? Eò  
sunt omnia in libro Reformationis, idque iuxta eam ra-  
tionem ac formam quam ipsum verbum Dei præscri-  
bit, quod de veste alba nullam mentionem facit.

#### De pluralitate signorum, quæ ad administrationem Baptismatis accesserunt, generalis responsio.

#### C A P. LXII.



E T E R E s ad excitandam & augendam religionem  
deuotionemque populi apud Baptismum, & ad maiore  
administrationi mysterioque illius authoritatem & so-  
lennitatem conciliandam, plurima signa, & spirituales  
ceremonias adhibuerūt. Eas vero diligenter quoque ac  
fideliter populo explicauerunt, & ad verè fidelem præsentiam, omni-  
modumque fidei in Christum edificationem, cū perspicuis & intelligi-  
bilis lectionibus, orationibus ac hymnis excitarunt & adduxerunt.

Aduersarij vero longo iam tempore hęc signa & externos ritus sine  
intellectu, sine deuotione, sineque omni ædificatione, imò partim ad  
ludicrum, partim ad impium & superstitionis spectaculum usurpa-  
runt. Quamobrem neque de S. Patribus gloriari, neque eorum autho-  
ritatem istis Ecclesiis obiicere possunt, que mysteria & dona Dei apud